



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Refutatio Accusatoris Anonymi Damnatas ab Innocentio XI. Propositiones adscribentis Ordinum Religiosorum Theologis ac præcipuè Societatis Jesu**

**Estrix, Aegidius**

**Moguntiaë, 1679**

Propositio LX. Poenitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, esti emendationis spes nulla appareat, nec est neganda nec differenda absolutio; dummodo ore proferat, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42472**

Sic ait docuisse quosdam Jesuitas Lovaniū,  
non credimus decepti toties.

Edisserat quis Lovanii Jesuita, quando,  
quibus verbis id docuerit; saltem aperiat quo  
probabili fundamento id affirmarit. Interea  
Jesuitis nemo vir æquus vitio vertet affirma-  
tionem hominis ad criminandum præcipitis,  
ut jam apparuit toties.

Hoc mihi constat Ægidium de Coninck,  
qui unus Lovanii Jesuita commentarios suos  
edidit de Sacramento Pœnitentiæ, doctrinam  
illam rejecisse ut improbabilem, & refutasse  
operose valideque *disp. 7. dub. 9. n. 93. & 94.*  
Alios mihi exhibeat accusator Lovanienses Je-  
suitas, aut omnino Jesuitas, vel Religiosos  
Theologos, qui quæstionem tractarint, fallor  
si vel unus inter illos erit, qui doctrinam ap-  
probarit.

## PROPOSITIO LX.

**P**œnitenti habenti consuetudinem peccandi con-  
tra legem Dei, naturæ, aut Ecclesiæ, etsi  
emendationis spes nulla appareat, nec est neganda  
nec differenda absolutio; dummodo ore proferat, se  
dolere & proponere emendationem.

Hanc propositionem ait esse traditam à  
Baunio etiam verbotenus *p. 1. Tract. 2. q. 22.*  
*pag. 100.* citat quoque Jesuitam Sanchium in  
selectis disputationibus *d. 16. n. 16.*

Po-

Populo rursum imponit. Verba Baunii loco citato hæc sunt.

*Etsi pœnitens consuetudinem peccandi habeat, jurandi, aut aliud simile quid admittendi contra legem Dei, nature aut Ecclesie, non est tamen in neganda absolutio, si vere eum admissorum poenitet, ac emendandi sui propositum habeat.* Paulo post requirit dolorem de peccatis ac propositum firmum ac stabile ea vitandi in posterum. nusquam verò habet frivola illa; dummodo ore proferat se dolere. Immò quæst. 15. requirit ut de dolore constet confessario. QUANTUM FAS EST HUMANITUS: ait enim absolvendum; dummodo dolore necessario instructus ad confessionem vitæ melioris, consilium afferat, de quo sacerdoti, quantum fas est humanitus, ex signis, aut ejus ore voceque constet patet sane de dolore pœnitentis non semper constare posse ex verbo doleo: circumstantiæ adesse possunt, cur non possit illi credere sacerdos: requirit verò Baunius ut de dolore sacerdoti constet quantum fas est humanitus, vel ex ore & vocibus, si inde id constare possit, vel ex aliis signis.

Redit accusatoris fabula de Joanne Sanchio Jesuita in selectis disputationibus. Fatigat me hæc fabula. An revera doctrinam propositionis 60. ille tradiderit, non comperi; locus citatus in libello accusationis mihi oblato, non ex-

extat in totis disputationibus illius Joannis Sanctii cognomento Jesuitæ: vix enim, ut video, excutiet hoc nomen ille Sanchius, tam benevolum nactus nomenclatorem.

## PROPOSITIO LXI.

**P**otest aliquando absolui, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quin imò directè & ex proposito querit, aut ei se ingerit.

Authorem citat Baunium, & Jacobs Jesuitas: itémque Pontium, Castropalaum, & multos alios omnium Ordinum, qui, inquit, *absolutionem negare non audebant.*

De Baunio antiqua est calumnia sæpè refutata. Autor ille *tract. 4. de pœnit. q. 14. pag. 94. docet regulariter absolvendum non esse. Ut vero absolui possit, requirit dolorem de peccatis, firmum propositum, justam causam non deserendi occasionem; qualem censet esse alienam salutem æternam &c. negat denique hoc esse directè querere.*

De Francisco Jacobs impostura etiam est manifestior, legatur ejus quæstio Theologica de neganda & differ. absol. *dub. 1. Resp. 1. ubi agit de neganda & differenda absolutione ob proximam occasionem peccandi, generaliter definit, negandam esse absolutionem nolentibus deserere occasionem proximam voluntariam.*